

assensio vero pravitatis ulla eis adhiberi non debet. *Quid enim, nostra interest, seu ex occasione seu ex veritate Christus annuntietur*¹, dum populus vocem Dei audiat et que agenda sunt undecumque summonitus agat? Quid nostra refert, qua intentione episcopus *super cathedram Moysi*² sedeat? Audi commotionem^a evangelii: *que inquit dicunt facite, que autem faciunt, facere nolite.*³

18 Obicis vero mihi illud ex evangelio: *ingressus in templum dominus cathedras vendentium columbas et mensas numulariorum evertit*⁴ et illos procul a templo exturbavit. Super cathedram eversam quis inquires sedere potest? Qui in templo Dei remanere non sinitur, quę inquires dicit in domo Dei, unde audiatur? Super cathedram itaque Moysi symoniacus sedere non potest, quia eum nullam cathedram in domo Dei habere fas est nec istud exemplum referri potest ad symoniacum. Ad illos referri debet, qui legitime intronizati super cathedram Moysi sedent in domo Dei.

19 Set rogo attende. Verum est quod^b dicitur, quia indubitanter coram Deo cathedra symoniaci evertitur et ipse a conspectu Dei dampnatione perpetua eliminatur. Si tamen violenter cathedram optineat, velis nolis super cathedram Moysi sedeat, quamdiu Deus id patitur, que dicit audi et fac, que facit facere noli. Accipe testem inde et commonitricem sacre scripture auctoritatem: *Si ascenderit spiritus super te potestatem habens, non dimittas locum tuum.*⁵ Ascendit super te, quando tu illi non potes resistere. Tu tamen non dimittas locum tuum, etiam si ille supra te arripit locum, quamdiu te quidem sinit tenere locum tuum. Unde et apostolus Paulus ait: *non est inquit potestas nisi a Deo; que autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit.*⁶ Ac si diceret: iudicem hunc seu illum Deus constituit super te et te constituit subditum illi esse, noli ordinationi Dei resistere, set age, quod alibi ipse ait: *Bonum fac et habebis laudem ex illa.*⁷ Cum enim de potestatibus ordinatis a Deo tractaret, hoc tandem in finem consilium dedit: *Vis non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa.*⁷ Item: *Tu quis es, qui iudicas alienum*

^a) commotionem^b) fehlt

¹) Phil. 1, 18. ²) Matth. 23, 2. ³) Cf. Matth. 23, 3. ⁴) Luc. 19, 45; Matth. 21, 12. ⁵) Eccl. 10, 4. ⁶) Rom. 13, 1. 2. ⁷) Rom. 13, 3.